



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ

Foullon, Jean E.

Leodii, 1657

III. Vult Deus gloriam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

III. *Vult Deus gloriam.* Gloriam nihilominus sibi à nobis dari vult, non quia indiget, sed quia nequit non exigere, postquam nos creavit. Itaque per Isaiam, cap. 42. denuntiat, *Gloriam meam alteri non dabo.* Et Vates Regius, divinæ voluntatis conscius, monet Psalmo 28. & 95. ut afferamus Domino gloriam & honorem, afferamus Domino gloriam nomini ejus. Angeli denique, præcones & choralæ Dominici, canunt, *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Ubi audis gloriam Deo tamquam propriam assignari, pacem hominibus proponi: quemadmodum piè notat Bernardus, additque homines, qui, pace non contenti, gloriam Deo debitam invadunt, & pacem perdere & gloriam. Quod autem diximus, Deum non posse ab hominibus gloriæ tributum non exigere: causa hæc est. Quisquis ex ratione agit, propter finem aliquem operetur, necesse est. Finis autem ultimus propter quem agit, debet operante esse nobilior, vel æquè nobilis: quia laborare alicui, sive ejus

gratiâ nemo potest, quin eâdem operâ se-
 se illi aliquo modo submittat. In quo-
 tidianis actionibus id facilè notatu est:
 quando ita hominis alicujus causâ agi-
 mus, ut in ejus obsequio tanquam fine de
 se primario, extrinsecùs saltem ita se ha-
 bente, sistatur. Moses ovibus soceri sui
 Jethronis curandis præest: cùm id causâ
 soceri faciat, ei se hoc pacto subjicit.
 Josephus ad domesticas res Putipharis,
 in ejus gratiam & obsequium, attendit:
 adeóque hac ratione Putiphari fatetur se
 subesse. Ruth, alendæ socrui, spicilegium
 facit, eique, id faciendo, submissionem
 profitetur. Deus, qui cum summus sit in-
 tellectus intelligentissimè agit, in rebus
 creatis producendis, conservandis, con-
 cursu suo ad operationem admovendis:
 finem aliquem ultimum spectare debet,
 non alium utique, quàm seipsum, quia
 nihil illi æquale est, cui se submittere pos-
 sit, ejus gratiâ velut ultimi finis laborando.
*Omnia ergo propter semetipsum, id est ad
 gloriam suam, neque enim ad commo-
 dum vel ad voluptatem, operatus est Domi-*

nus, Proverb. cap. 16. *Et gentes creavit in laudem, & nomen, & gloriam suam*, Deuteron. cap. 26. Unde necessariò conficitur, Deum debitæ sibi ab hominibus gloriæ renuntiare non posse: nisi, quod fieri nequit. finem ipse suum assequi non vult, ac destituit.

IV, *Dei glorificatio qualis?* Id nunc agimus, ut demonstramus, à mortalium nemine tributum istud meliùs exsolvi, quàm qui voluntatem suam divinæ in rebus omnibus studeat conjungere. Geminus enim modus est gloriæ Deo tribuendæ, ut vel ipse Deum laudes, vel aliis materiam laudandi de te præbeas: id est scholasticis verbis, ut vel *Efficienter*, vel *Objectivè* glorifices. Hoc solùm modo inanima, & rationis expertia, Deum laudant, intelligentibus creaturis argumenta laudum subministrando: ideoque in Psalmis ad eum benedicendum invitantur. Rationis autem compotes creaturæ utroque modo summi opificis honorem amplificare debent. *Videant*, inquit Christus discipulis suis Matth. cap. 5. *opera vestra*